quo cum Fratribus meis alor; cùm interim TU innumeris quodammodò anilium conviciorum ac fœtidissimarum sordium plaustris in hospitium, ipsamque adeò altè memorati Principis aulam sine omni eiusd. respectu reali tàm verniliter inveharis! An inviolabilis jura hospitii tantus Doctor ignoras? sanè, qui injustè ac violenter, ut tu facis, aggrediens hospitem lædit receptum, lædit & recipientem; adeó
Gen. 19. ut justus ille Loth duas filias suas virgines, quàm hospites à se collectos, maluerit indignissimè violari. Sed quid dico? non intelligimus Conringii nostri libertatem Hermeneuticè Christianam!

ad pag. 8. FALSUM est 8. me *de invocatione SS. pauca, & non nisi cavillatoriè attigisse.* Hæc nimirum solidissima est probatio tui p. 9. tantoperè jactati candoris & animositatis plusquàm heroicæ! videat æquus Lector, an non Hermannus noster tractatûs mei paginas non pauciores, quàm sedecim supra quadringentas ad hanc materiam omninó facientes masculè transilierit.

Provocaveras sanè, imó & urseras ipse tractatum aliquem de Romano Sanctorum & imaginum cultu, cùm plurimis aliis, tùm hisce, quæ animad. tuæ p. 28. dicis, *abo-*
Vid. etiam *minareris* OMNEM *vestrum Sanctorum pariter & imaginum cultum re-*
p. 17. 20. *ligiosum, si prout par est, haberes perspectum,* NIHIL NON HORUM
27. 28. *à Divinis præceptis & sententiâ aureæ primitivæ Ecclesiæ plurimùm*
& 47. *dissidere.* Nunc verò turpiter fugiens eundem hìc dicis *non pertinere ad libellum tuum.* ac interim aërem heroicè verberas, convicia horrenda crepas, & pugnas cum umbris; cùm me non anonymi illius, sed doctrinæ & praxis Romanæ professus sim defensorem.

Si tamen ego pauca & nonnisi cavillatoriè attigi, poteras & tu ea paucis referre, ac paucioribus gravissimè refutare: Verùm si hoc attentasses, vidissent omnes te nimis ridiculè cavillari, ac

ad pag. 9. FALSUM esse 9. quod dicis p. 9. NOVAS *à me doctrinas malignè*